PROSE VERSI
E ALTRI OPUSCOLI
RACCOLTI, E ORDINATI

DA GIAMBATISTA BOCCOLINI

CLASSE QUARTA

Che contiene le coſe ſtampate in quarto
dall' Anno 1610. fino all' Anno 1690.

VOLUME IV.

*CON DIVERSE ANNOTAZIONI,
ET INDICI.*

CATALOGVS
EPISCOPORVM
VRBISVETERIS.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FAVSTO
CARDINALI POLO

Epiſcopo Vrbiſueteris.

FILIDIVS MARABOTTINVS F.

SALVTARIA Vrbis limina anno hoc piaculari mihi repetenti accidit (Eminentiſsime Princeps) vt viderim acta tuæ Synodus prælo ſubijciēda; & cōfeſtim, nec inopportunè, cēſuerim ad calcem operis nomina Epiſcoporum Vrbiſueteris, & geſtorum ab eis breuiarium apponere. Plura ad cogitati executionem habui incitamenta; at horum potiſsimum à te incrementum accepit, quibus dum audires Scriptores, Vrbeueta-

næ Eccleſiæ Antiſtites recenſentes veridicis caruiſſe relationibus, mihi antiquas, & è latebris nuperrimè depr̄optas, Epiſcopalis Tabularij paginas euoluēdas commiſiſti, vt veritati tenebris circumfuſæ lux gentilitia aliquando reſtitueretur. Communicato igitur cōſilio cum R. P. Luca Vvaddingo, viro de ſacra hiſtoria ęque, ac de Chriſtiana religione optimè merito, & tibi addictiſsimo, tuo etiam accedente permiſſu, notas à me antea indiſtinctè congeſtas in hanc ſcriptiunculam redegi, quam vti tuis auſpicijs, & auxilijs exaratam tuam eſſe exiſtimans, tibi reddo. Tu interim innumeris nexibus tibi deuinctum, oppignoratumq; animum meum leuibus hiſce ſignificationibus adumbratum, ne dedigneris.

CATALOGVS EPISCOPORVM VRBISVETERIS

Ex antiquis, & publicis autographis ſere totus excerptus,

IOANNES Epiſcoporum Vrbiſueteris temporum incuriæ ſuperſtitum primus adnumeratur. Nomen debet ille incorruptum Gregorio, cuius & nomen Magni titulo decoratur. Scribit enim is ad Ioannem anno 590. vt lib. 1. epiſtola 5. Indictione nona.

Candidus ipſe quoque nigrorem effugit obliuionis in eiuſdem Gregorij litteris anno 591. Candido Epiſcopo Vrbiſueteris directis, vt lib. 2. epiſt. 5. Ind. 10.

Gregorius recenſetur à Cardinale Baronio Vrbiſueteris Epiſcopus anno 743. in Romana Synodo ſub Zacharia Pontifice ſubſcriptus.

Alipertus inter alios Epiſcopos Concilio Romano ſub Eugenio Secundo aſtantes anno 826. apud eundem Baronium reperitur.

Petrus vixit in eodem Epiſcopatu anno 853. Baronio pariter adſtipulante. Horum omnium geſta, proh rerum humanarum deplorabilis conditio! æui ingluuiem perpeſſa deliteſcunt.

a Rodul-

Rodulfus, vt aiunt, natione Gallus anno 975. Epiſcopus Vrbiſueteris effectus plurium memorandorum author regimen compleuit, & dies anno 990. De Rodulfo hoc antiquarum paginarum vſque adhuc teſtimonia non repperi; attamen, quia, nec illarum, nec temporum vidi repugnantiam, veſtigijs aliorum hærens, hic illum repoſui, non abſque animi hinc inde fluctuantis ſuſpenſione.

Sigefredus Vrbiſueteris Epiſcopus anno 1028. pietatis erga Deum non leuia exhibuit argumenta, dum primus inter ſuos Clericos Religionem iuxta ſancti Auguſtini Regulam inſtituit; at maiora liberalitatis monumenta reliquit Canonicis, quibus inter cætera largitus eſt ſeptem Plebes, & tres Parochiales Eccleſias cum omnibus Iuribus.

Teuzo, nec veriſimili infertur violentia, poteſt Sigefredi ſucceſſor exiſtimari. Extant enim conceſſiones ab eo emanatæ ſub anno 1054. & cum inter Tuſciæ Epiſcopos Victoris Papæ Secundi ſuffraganeos à Baronio Vrbeuetanus etiam; ſed abſque nomine pronuncietur, Teuzonem hunc probabili argumento illum fuiſſe eſt firmandum.

Sed ecce in ipſomet veſtibulo noſtræ Chronologiæ fundamenta propemodum nutantia. Quis enim non videt inter memoratos Epiſcopos tantam intercapedinem, vt inter ſe naturali temporum computatione iungi nequeant? Fateor. Aetas, quæ machinis non parcit æneis, tenuiſſimas membranas, quæ antiquorum fuere nominum repoſitoria conſumpſit. Eſto igitur Series vſque adhuc imperfecta, implendaque remaneant ſpatia prius quam per media interualla ludicris coniectationibus, & commentitijs nominibus caligantes, hiſtoriam prodamus læſæ veritatis ream.

Albertino

Albertino certè ex ijs, quos è profundioribus tenebris eruere conatus ſum, vel aliqua ex vacuis primarijs ſedibus debetur, vel ferè omnium antedictorum eſt ipſe anteſignanus. In Codicibus enim vetuſtiſſimis enūciatur, ne dum Epiſcopus Vrbiſueteris, vitaque monaſtica venerandus, ſinè tamen anni circumſcriptione, ſed vixiſſe dicitur eo tempore, quo Petrus, & Farulfus Caluus eius filius ſpontanea pecuniarum largitione Epiſcopatui dotem conſtituerunt, in cuius veteri Palatio pia beneficiorum hominum munificentia depictis eorundem Imaginibus fuit ab Albertino compenſata.

Guiglielmus Vrbeuetanus è progenie Martinotij, habuit ex fratre Nepotem gentilitio Martinotij nomine nuncupatum, & militari dignitate inſignitum. In Epiſcopatu Vrbeuetano diù vixit; nam ab anno 1103. vſque ad annum 1131. ſeruantur adhuc publica id teſtantia Inſtrumenta. Primus anno 1118. Parrani Caſtrum Vrbeuetani diſtrictus conceſſit Comitibus Bernardino Gualfredo Vgulino, & Gregorio Comitis Borgarelli ex Domo Borgareſca, ſeu Comitum de Marſciano. Eodem anno Guiglielmus concilium celebrauit in Valle lacus tunc Vrbeuetanæ ditioni Epiſcopali ſubiecta cum ſuis Caſtris Vulſinij, ſancti Laurentij, Griptarum, Gradularum, Capudemontis, Biſentij, & Inſulæ Vrbanæ, ſeu Biſuntinæ; & in Caſtro Griptarum Eccleſiam ſancti Petri paulo ante conſtructam conſecrauit. Eidem Epiſcopo anno 1115. Eccleſia ſanctæ Chriſtinæ cum ſuis Iuribus in Vulſinij ſuburbijs fuit conceſſa, & ipſomet fortè ſedente anno 1137. donatio Caſtrorum Mucaronis, Ciuitellarum, Rantulæ, Pornelli, & aliorum S. Mariæ Vrbiſueteris ſuum ſortita eſt effectum.

Ildebrandus Vrbeuetanus vacante ſede Procurator Epiſcopatus Guiglielmi tiaram ſuſcepit. Fuit is è

nobili Beccariorum ſtirpe, quam florentem modo in Inſubriæ partibus hinc illuc translatam aliquis autumauit. Controuerſiam compoſuit exortam inter Abbatem, Monachoſque ſancti Sepulcri Aquapendentis, & Plebanum Griptarum ob nouam Plebem ibi ſub S. Petri nomine erectam, vbi inſuper Eccleſiam ſancti Ioannis Ildebrandus conſecrauit. Diſſidia tamen ipſe innutriuit inter ſemet, & Archipresbyterum Rainerium cum ſuis Canonicis, qui Epiſcopo lapſus Carnis notam inuſſerunt, vt iniuſto metu compulſus, eis bona Epiſcopalia largiretur. Hinc Iure Epiſcopus laceſſitus, voluit à Clericis Parochianis, inuitis Canonicis in maiore Eccleſia diuinas precationes, ſolemneſque ritus peragi vſque ad annum 1154. quo à propoſito deflectens, & Canonicis Eccleſiam reſtituens, diſſenſionis faces extinxit. At eas, quas in ſubdolo pectore fouebat, non extinxit Rainerius quidã Parochialis Sacerdos, & Epiſcopi Commenſalis, qui cum turbamenta fruſtrandæ pacificationi fruſtra adornaſſet, Epiſcopalia Inſtrumenta effræni rabie percitus combuſſit. Mortuo Ildebrando, vacauit ſedes Epiſcopalis vno anno, & tribus menſibus.

Gualfredus Ildebrando ſucceſſit; hoc vnum de eo nouit poſteritas, cætera vetuſtas abſorbuit.

Guiſcardus Vrbeuetanus inſecutus eſt Gualfredum, de quo memoriæ eſt traditum, Terras Epiſcopatus prope flumen Paleæ, quæ Caium appellabantur olim oppignoratas anno 1157. recuperauiſſe.

Milo proximè Guiſcardo acceſſit natione Campanus de Vallemontonis. Duobus annis vixit in Exedra Epiſcopali, poſt cuius obitum ſeptennio vacauit Sedes tanto, vt refert Rainerius Epiſcopus infra deſcribendus, Eccleſiæ Vrbeuetanæ detrimento, vt vix per tres menſes

ſes Epiſcopalis Menſa deinceps ſuſtentari poſſet. Adminiſtratio ad Rocchum ſancti Conſtantij Priorem, ſeu Archipresbyterum eſt delata vna cum Archidiacono, qui tunc primo, eodem Rainerio teſte, in rebus Epiſcopalibus ſe immiſcuit, cum antea nullam ſortem in Epiſcopatu haberet, ſed cum Canonicis moraretur. Ruinam hanc Roccho adſcriptam hiſce verbis Epiſcopus antecedens deplorat: *Qui deberent eſſe vacante Sede Cuſtodes pariter, & Paſtores, deſtructores ſunt potius, & Lupi vſurpantes bona Patris, & ferè nullas reliquias relinquentes.*

Ruſticus tandem Miloni ſuffectus anno exeunte 1168. illico Eccleſiam ſanctæ Mariæ, quam Ildebrandus reſtituerat Canonicis confirmauit, ſicuti Archidiaconatum, & Primiceriatum retenta, pro Menſa Epiſcopali dimidia quarũlibet oblationum parte. An. 1172. Parrani feudum Comiti Rainerio Borgarelli filio, & Bernardini primi acquirentis ex filio Nepoti renouauit addito annuo cenſu Epiſcopis ſoluendo, tam à Rainerio, & deſcendentibus, quàm ab incolis eiuſdem Caſtri. Ab Ildebrando Epiſcopo Suanenſi, iudiciarijs moleſtijs eſt affectus Eccleſiaſtica plurium locorum ditione hinc inde diſceptata. Septem annis Ruſticus Paſtorem ſe geſſit, & die ſancti Benedicti anno 1175. mortalibus exutus ſpolijs euolauit ad Deum. Vacauit Sedes duobus annis.

Riccardus, Patria, non cognomento Caietanus eodem die ſancti Benedicti, quo Anteceſſor obierat, biẽnio tranſacto Vrbeuetanæ Eccleſiæ eſt aſcitus an. 1177. ita vt, cum primo ad Aras mitra redimitus acceſſit, mortuale ſacrum Anniuerſario ritu pro Ruſtico celebrauerit. Eccleſiam adminiſtrauit ſpatio viginti quatuor annorum aſperrimis ſane temporibus, quibus Manichæorum

rum factio valdè potens, prauarum opinionum virus vndequaque in Vrbeuetana Ciuitate diffundens in Papæ conſectaneos odio tam implacabili efferbuit, vt Petrum Parentium Romanum pro Innocentio Quarto Vrbiſueteris Rectorem anno 1199. è medio immaniter tollere non dubitauerit. Riccardus quippe exſomnis animi vigore, & intrepida turbulentorum hominum deſpicientia ſuo muneri non defuit, vt fides ortohdoxa de impietate triumpharet. Annorum pondere fatiſcens cecidit in Templo ſanctæ Chriſtinæ Vulſinij, & paulo poſt obijt anno 1201. Epiſcopali Palatio prius reſtaurato, & ſepultus eſt apud ſanctum Seuerum.

Matthæus Vrbeuetanus Petri filius, & Alberici ex filio Nepos è Canonico ſancti Conſtantij Prior eiuſdem Eccleſiæ, effectus, eodem die, quo Riccardus defecit, Epiſcopatum eſt conſecutus, in quo nouem annis, & ſex menſibus peractis, ſcalis Palatij renouatis, & ibidem Sacello ſub D. Siluestri nomine magnificè conſtructo 6. Kal. Octobris anno 1210. corporis ſeſe integumento exſoluit.

Ioannes eodem anno, & die electus ad Epiſcopatum, vel fuit Patria Vrbeuetanus, vel ſaltem longo incolatu Ciuitate donari meruit. Fuit enim per triginta annos, vel amplius Canonicus ſancti Conſtantij, ſemperque Magiſter in vtraque dignitate eſt nuncupatus ob ſcientiarum, & præſertim Iuris Canonici peritiam. Dum erat Canonicus fuit à Cœleſtino Papa Quarto anno 1194. vna cum Viuiano Præpoſito Suanenſi Iudex delegatus in lite renouata inter Epiſcopos Vrbiſueteris, & Suanæ. Anno 1211. Comitem Borgarellum Comitis Rainerij Borgarelli filium ad colloquium vocatum interrogauit, quo Iure Parrani Caſtrũ detineret, cui Borgarellus cum exhibuiſſet ſupralaudati Ruſtici conceſſio-

ceſſionem, illamque Epiſcopus inualidam aſſereret, tanquam conſenſu Canonicorum carentem, Eccleſiæque maximè præiudicialem ſubdens, quod etiamſi Ruſtici conceſſio irrita non foret, adhuc Borgarellus ob cenſuum non ſolutorum, & fidelitatis non renouatæ defectum à Iure ſuo ceciderat, illum coegit ad pactis cum Ruſtico initis, ſolenni, & nouo Inſtrumento confecto adiungendum, quod ſi ipſe Borgarellus, vel hæredes ex eo deſcendentes abſque legitima prole deceſſiſſent Parranum ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Vrbiſueteris deueniret. Ioanni autem egregiorum operum curriculum mors præpropera interrupit anno 1212. in die ſancti Bonifacij relicto inuentario, quod primus ipſe confecit bonorum Epiſcopatus; in quo vixit vno anno, & tribus menſibus.

Capitaneus Vrbeuetanus prius Canonicus ſancti Conſtantij, poſtea Archidiaconus anno 1213. menſe Ianuarij ad Epiſcopatum aſcendit. Fuit Rapitij filius, & frater Todini, ex quo natus eſt Pepo militari ordini adſcriptus. Primo anno à Conſulibus Vrbiſueteris declarationem obtinuit, qua Caſtrum ſancti Viti omnium Caſtrorum Epiſcopatus antiquiſſimum ſancitum fuit ad eundem ſpectare. Anno 1215. fuit vnus ex delegatis à Papa ſuper pace inter Vrbeuetanos, & Tudertinos. Anno 1216. fuit in Ciuitate Vrbeuetana arbiter electus in quadam controuerſia inter Archipresbyterum ſancti Conſtantij, & Parochianos ſancti Laurentij de Arari ſuper huius Eccleſiæ Iuribus, & præſertim electione Rectoris, quam eiſdem Parochianis confirmauit. Anno 1221. ædificari cœptum Monaſterium cum Eccleſia Monialium S. Pauli Vrbiſueteris ſumptibus Monachorum ſancti Pauli de Vrbe contradicente Epiſcopo, annuente tamen Pontifice. Eodem anno Monachi,

chi, qui dicuntur Nigri ſancti Benedicti, ad quos ſpectabat ſancti Seueri Monaſterium, inde Pontificis mandato vrgente Epiſcopo religioſæ obſeruantiæ defectu excluſi, & Monachi pariter S. Benedicti Præmoſtratenſis ordinis ſuffecti fuerunt. Anno 1227. in ſacrorum celebratione Epiſcopus à piorum communione ſegregauit Paganutium, & Ioannem ſanctæ Mariæ de Mimiano ad Capitulum ſpectantis occupatores. Anno tandem 1228. ſeptimo Kal. Martij laboribus & vitæ terminum indixit.

Rainerius Vrbeuetanus Prudentij filius, & Peponis frater 6. Idus Aprilis eodem anno Vrbiſueteris Epiſcopus electus 17. Kal. Maij à Pontifice confirmatus, & Kalend. Octobris Peruſij ab eodem eſt conſecratus. Primo anno Concilium in maiori Eccleſia celebrauit, in quo inter cætera ſeuerioris Anathematis vinculo innodauit Clericos bona inconſulto Epiſcopo quoquo modo alienantes, & omnes auxilium contra Epiſcopum Abbati ſancti Sepulcri Aquapendentis exhibentes. Iudicium enim mouerat Rainerius contra illum, qui ſe iactans ab Vrbeuetana Eccleſiaſtica ditione exemptum Epiſcopalibus inſignijs in eiuſdem Epiſcopi contemptũ vtebatur, quod poſtea anno 1229. ſequente definiendum tradidit Pontifex Aegidio ſanctorũ Coſmæ, & Damiani Cardinali. Eodem fere tempore Peponem Epiſcopi Capitanei ſupranominati Nepotem iureiurando adegit, vt omnia habita à Patruo ad Epiſcopatum ſpectantia, ipſius Rainerij arbitrio ſubijceret. Anno 1232. pijs Ciuium erogationibus, Rainerijque exemplo, & animatione conſtructa fuit empto ſitu à Cardinale Vgulino de Comitibus Innocentij III. Nepote Eccleſia ſancti Laurentij inter vineas cum Monaſterio Monialium ordinis ſancti Damiani, quæ ibi numerum quadragenarium

rium implentes, primo ſeſe regimini ſuppoſuerunt nobiliſſimæ fœminæ ſororis Ioannæ de Frangepane de Vrbe; eodemque anno Epiſcopus illud præuia Pontificis auctoritate ab Epiſcopali Iure exemit. Anno 1240. Ranerio vna cum Gualcherino Vrbeuetano Epiſcopo Suanenſi commiſſa fuit à Papa Inquiſitio vitæ, & geſtorum Beati Ambroſij de Maſſa Franciſcani Ordinis, tunc inter cæleſtes referendi, cuius cineres in Eccleſia ſancti Franciſci Vrbiſueteris veneratione proſequimur. Anno 1241. expunxit e fidelium cœtu Fiordeuogliam, Peponem, & Petrum Comites de Rotacaſtello, qui diuina, & humana Iura miſcentes Caſtrum ſancti Viti ad Epiſcopum ſpectans, non ſolũ occupauerãt, ſed nefaria direptione Templum combuſſerant, & Incolas Clericoſque præſertim trucidauerant. Cæterum Ranerij monumenta inſpiciuntur, vſque ad annum 1247. quo anno tamen defecerit ex ijs non liquet.

Frater Conſtantinus Vrbeuetanus Ordinis Prædicatorum anno 1250. vt creditur, Epiſcopali præeminentia fuit honeſtatus. Amplam pro vno anno, & quadraginta diebus noxarum condonationem impartiuit Eccleſiæ ſancti Dominici in die feſto ſancti Petri Martyris, quem in ſuo diplomate cognouiſſe affirmat. Anno 1255. miſſus à Pontifice legatus in Græciam, ibi cæleſtem adoream eſt aſſecutus anno 1257. mortalibus exuuis Peruſium translatis.

Iacobus Conſtantino proximus ſacram infulam in Vrbeuetana Eccleſia recepit anno 1257. quo Parrani ſubiectionem Epiſcopo Comites Borgarellus, & Bernardinus Ranerij e Comitibus de Marſciano renouauerunt. Epiſcopatum reliquit Iacobus anno 1269. & Sedis vacantis memoria apparet vſque ad an. 1272.

Ildebrandinus, ſeu Aldobrandinus Florentinus e

nobili Caualcantium familia anno præfato Iacobo ſucceſſit. Fratrem habuit Dominum Amadorem, & ex eo Nepotem Scolaium, cum Epiſcopo moram trahentem, ex quo veriſimili deriuatione deſcēdiſſe credimus Scolaium alterum iuniorem de Caualcantibus, qui an. 1370. pro ſummo Pontifice in Vrbeuetana Ciuitate Vicarium ſe geſſit. Anno 1274. Ildebrandinus Meanæ Caſtrum, liberè, & nulla conditione adiecta emit pretio 2500. lib. den. ab hæredibus Franciſci Boninſignæ Vrbeuetani Ciuis, mutuoque propterea Epiſcopum ſuſcepiſſe à Domino Tegliario, Domini Iacobi de Laſcala Florentino florenos quadringentos cum interpoſitu fidei Cantini, D. Lupi Valentis de Caualcantibus eius Conſanguinei memoriæ eſt traditum. Eodem anno Monaſterium erexit Monialium Beatæ Mariæ de Valleuiridi extra Vrbemueterem, cuius prouentus Monaſterio deficiente ſubſequentibus temporibus Archidiacono fuerunt adiuncti. Anno 1276. Florentiæ deceſſit, ibique in Eccleſia S. Mariæ nouellæ marmoreo ſepulcro cum inſcriptione eius oſſa teguntur.

Franciſcus Vrbeuetanus anno 1280. merito ad faſtigium peruenit Vrbeuetanæ Eccleſiæ, cuius opera nouum magnificentiſſimo ſumptu Templum in eius locum, quod electus inuenerat, Deiparæ Virgini erigi eſt cœptum. Ipſe quidem vehementiſſima virium contentione ſuos omnes neruos intendit, vt tractatus diù habitus de illius conſtructione perficeretur. Anno tandem 1290. Franciſcus cæteris exantlatis difficultatibus, ne Contradictores haberet Canonicos, illis varia bona ceſſit, & præſertim Eccleſiam ſancti Hippolyti de Vallelacus, Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Caſtro ſancti Laurentij ſubiectam; & Canonici Epiſcopo Eccleſiam ſancti Conſtantij, cum adiacentibus membris, cuius ſo-

lo hærere debebat operoſa conſtrue̅da moles,liberè ceſſerunt. Eodem anno, quo Nicolaus Quartus in nouo ſanctæ Mariæ Cathedrali Templo fundamenta poſuit, Franciſcus in noua Eccleſia ſancti Spiritus Armeniorum extra Vrbemueterem in via Petrorij primum lapidem iecit, veteremque ſancti Spiritus Eccleſiam in via, quæ prius ad Petrorium ducebat, à Monachis co̅ſignari nouis ſanctæ Agnetis Monialibus permiſit. Anno 1280. Comitem Bernardinum Rainerij Borgarelli pro Parrani Caſtro obedientiam præſtâtem excepit. Anno 1283. conceſſit Eccleſiam ſancti Gregorij de Soaltulo Priori, & Monachis Eremi Montisſani Camerinenſis Diœceſis Ordinis ſancti Benedicti, cuius poſtea redditus Monachis abeu̅tibus Vrbeuetanum Archidiaconatum ditauerunt. Ab eiſdem Monachis inſeque̅ti anno emit Epiſcopus pretio 1230. lib. den. pro Epiſcoporum ſede Domum in Ciuitate Vrbiſueteris à Domino Ioanne Caietano Papæ Notario emptam, & à Ioanne in Vrbeuetana Ciuitate decedente an. 1283. Monachis diuino impulſu relictam. Anno 1295. Franciſcus ad Florentinam Eccleſiam tranſijt Bonifacio VIII. ſummo Pontifice ita diſponente.

Leonardus Vrbeuetanus ab eodem Bonifacio, cui Clericali onere inſeruiebat, ex Archidiacono Barrenſi Epiſcopus Vrbiſueteris eſt declaratus. Anno 1296. à Pontifice, qui Vrbeuetanos Caſtra Vallislacus tradere ſibi renuentes Pontificijs diris percuſſerat, Leonardus, cum omnibus Clericis diſcedere eſt iuſſus à Ciuitate, in qua anno 1297. pedem denuo fixit propitiato Pontifice, & ab hoc ad Nos miſſo fratre Gentile Archiepiſcopo Rhegino ad ſpiritualium vinculorum ſolutionem Vrbeuetano Populo communicandam. Quibus peractis Epiſcopus memoratus poſt aliquot annos fama, & vir-

tute conſpicuus in ſuæ Sponſæ gremio obdormiuit.

Guitto anno 1302. Leonardi Sedem impleuit. Hic Vrbeuetanam Patriam, Farneſios Dynaſtas iactat progenitores. Quicquid alij dixerint de huius familiæ origine ex innumeris argumentis meæ ſententiæ fauentibus id vnum referam, quod Guittonis tempore accidit. In Italiam venerat Henricus Septimus Imp. anno 1312. Italicorum Principum ditionem Imperatoria authoritate armis fulcita turbaturus; & cum in Etruriam perueniſſet, ſubditis ferè omnibus illius Regionis mandata circumferri voluit, & præſertim Farneſianis Proceribus, vt illico Piſas ſe conferrent. Quibus auditis iſti Vrbeuetanam Matrem adeuntes, ſanctioni ab Vrbiſueteris Senatu firmandæ Imperialis præcepti executionē ſubiecerunt. Lottus, & Petrus Rainutij Peponis fuerunt Guittonis fratres. Primus nobiliſſimam fœminam Gioiam nuncupatam è Philippenſium ſtirpe habuit ſibi matrimonio iunctam. Petrus dum anno 1321. ſupremam tunc temporis Poteſtatis Vrbſueteris dignitatem gereret, Reipublicæ deſenſoris titulo ob fortiter geſta ſuit cohoneſtatus. Cæterum Guitto viginti ſex annorum ſpatio in Vrbeuetanæ Eccleſiæ adminiſtratione rerum humanarum viciſſitudines, & diſcrimina ſæpe eſt expertus. Anno 1303. armorum delatione ab Vrbeuetanæ Reipublicæ Magiſtratu familiaribus Epiſcopi interdicta latus vtrimque diſcordiarum campus eſt patefactus; & furente in dies reciprocæ maleuolentiæ turbine, fulmen tandem erupit, quo Vrbeuetanus Populus ob promulgatas leges Eccleſiæ libertatis per emptorias, piorum congreſſu, ſacriſque ab Epiſcopo eſt interdictus. At deferuentibus tractu temporis animis amorem Guitto facile recuperauit Conciuium ſuorum, à quibus anno 1320. ducentum aureorum florenorum

munus

munus recepit, anno 1321. Ciuitatis Reformator eſt electus, & anno 1322. pro eadem Orator ad Terras Vallislacus cum decem ſequacibus Equis eſt proclamatus. Nec minor fuit Guittonis æſtimatio in Pontifice, à quo anno 1320. militare, & politicum Prouinciæ Patrimonij regimen ſuſcepit, & ciuilia bella in illa Regione ebullientia nouo diplomate ibidem Pontifex ſibi, & Angelo Epiſcopo Viterbienſi commiſit reſtinguenda.

Frater Beltramus, ſeu Tramus Vrbeuetanus Ordinis Prædicatorum e Monaldenſibus de Ceruaria filius Corradi D. Ermanni Cittadini ad Guittonis paulo antea defuncti miniſterium anno 1328. eſt vocatus à Balneoregienſi Epiſcopatu, quem diù recuſatum expreſſo Pontificis mandato adminiſtrabat. Ciuium erga Tramum beneuola obſeruantia teſtata remanet in mille lib. den. quas illi electo ſtatim ſunt elargiti; quamuis hæc Eclypſim aliquam deinde fuerit paſſa, eo quod Tramus Vrbeuetanam Ciuitatem interdicto mulctare bis fuerit coactus; id egit primo anno 1330. ob nonnullorum Clericorum condemnationem à Poteſtate Vrbiſueteris intentatam, ſecundo ob violentam extractionem fœminæ cuiuſdam à Monaſterio Monialium ſanctæ Trinitatis extra Vrbemueterem eiuſdem Poteſtatis iuſſu ſecutam; nec prius interdictum Epiſcopus reuocauit, quam mulier in eundem locum ab Vrbeuetano Magiſtratu reducta fuerit. Patriæ inteſtinis odijs, & Ciuilibus ſimultatibus æſtuanti feruentiſſimis initis pro pacificatione tractatibus ſpiritus afflauit Tramus paterni amoris. Sed cum peruicaces, & diffidentes animos vnū congregare in cor nequiuiſſet in Auenionenſem Ciuitatem tunc Pontificis Sedem ſeceſſit, in qua ætatis ſuæ anno 66. e gurguſtijs mortalitatis anno 1345. eſt egreſſus. Sepulcrum habuit in Eccleſia ſancti Dominici

eiuſdem

eiuſdem Vrbis, vbi meruit ſuo funeri habere aſtantes decem, & ſeptem Cardinales.

Raimundus ex Epiſcopo Reatino an. 1346. Epiſcopus Vrbeuetanus eſt renunciatus. Obijt anno 1348. nullis ſuæ famæ veſtigijs ſuperſtitibus remanentibus.

Pontius natione Gallus, & Papæ in Vrbe Vicarius eodem anno Epiſcopus eſt ſubleƈtus. Ferocientis animi impetus pluries indicauit Vrbeuetano Populo, cum quo varias fouit lites, & præſertim pro Caſtris Meanæ, & ſanƈti Viti Epiſcopali ditioni ſubieƈtis. S. Auguſtini fratres Iure, quod habebant ſuper Monaſterio Monialium ſanƈtæ Mariæ Magdalenæ, ſpoliare conatus eſt ſcalarum ope in Monaſterium irrumpens, & à Monialibus inuitis obedientiæ ſigna extorquens; qua cauſa deinde à Pontifice cognita fratres in antiqua poſſeſſione ſunt ab eodem redintegrati. Anno tandem 1361. vt omnium corda excitaret in odium ſui à Colleƈtis, quæ Clericis imponebantur, naƈtus opportunitatem Ciuitatem Anathematis gladio vulnerauit. Hiſce de cauſis dum Ciues indefeſſis precationibus Pontificis aures vexabant, vt Pontium remoueret, mors votis Vrbeuetanorum obuia eundem eodem anno ab Epiſcopatu exemit, fratre Nicolao Epiſcopo Caſtrenſi tunc exiſtente eius Vicario.

Ioannes de Magnauia Papæ pariter in Vrbe Vicarius, Pontij vacantem Cathedram obtinuit anno eodem 1361. dum Aegidio Cardinale Albornotio Domino Vrbiſueteris adhortante petebatur à Ciuitate Epiſcopus Henricus de Seſſa eiuſdem Cardinalis Cancellarius, & Epiſcopus Aſculanus. Idem Ioannes eodem anno ſuæ eleƈtionis tanquam Sedis Apoſtolicæ Nuntius, & Colleƈtor Interdiƈt. protulerat contra Vrbeuetanam Ciuitatem debitas ſubſidiorum Apoſtolicorum

ſolutiones in longum protrahentem, electuſque ad Epiſcopatum beneficum ſtatim Ciuitati ſe oſtendit, cum & ab Interdicto illam ſtatim abſoluerit, & pluries dilationes eidem conceſſerit exoptatas. Anno 1363. concordibus pactionibus, diſſenſionis fila abſcidit inter ſemet Epiſcopum, & eandem Ciuitatem ſuper electione Camerarij fabricæ ſanctæ Mariæ exortæ. Anno autem 1364. morte præuentus deſiderium reliquit ſui.

Petrus eodem anno Ioanni eſt ſurrogatus, quem Boerium familia, Gallum natione, profeſſione Monachum fuiſſe aſſerunt. Anno 1370. à Pontifice Corrector, & Reformator Ciuitatis eſt electus, in quo munere obeundo perfectiſſimam rerum agendarum ſolertiam, & inflexibilis Iuſtitiæ tenorem adeo patefecit, vt vniuerſalis beneuolentiæ apud Populum, & encomiorum apud Pontificem vberrimam ſegetem reportauerit. Vſque ad annum 1375. Petri memoria in publicis ſeruatis paginis conſpicitur.

Nicolaus Peruſinus, omiſſis Pſeudo-Epiſcopis intermedijs, dicitur legitimus Petri ſucceſſor anno 1378. Verum cum antiqua monumenta non viderim, id plene comprobantia, & contrariam opinionem nil mihi ſuadeat, veritatem in ſua ſede relinquo. Indubitatum tamen eſt ab anno 1391. vſque ad Matthiæ infra deſcribendi electionem Sedem Epiſcopalem vacauiſſe, ſi publicis eorum temporum autographis in tabularijs huius Ciuitatis ſeruatis credendum eſt.

Frater Matthias de Auuedutis Vrbeuetanus Ordinis Minorum præclarus Theologiæ Magiſter, fuit prius Balneoregij Epiſcopus, & eodem tempore anno 1395. Curiæ Epiſcopalis Vrbiſueteris Sede vacante Vicarius, omnibus tamen Epiſcopalibus redditibus ſibi attributis, & poſt aliquot annos ad Epiſcopatum eundem

relicto

relicto Balneoregienſi eſt promotus. Anno 1404. Diœceſanam Synodum celebrauit, cuius adhuc aliqua extant fragmenta. Caſtrum ſancti Viti permutationis titulo in Monaldum è Monaldenſibus de Ceruaria tranſtulit, quo deinde peruento ad Franciſcam Monaldi ex ſratre Neptem, illud anno 1486. generoſa fœmina Vrbeuetanæ Ciuitati reliquit. Eodem anno cum Monaſterium ſancti Laurentij inter vineas ad omnes periculorum caſus, bellis præſertim ſæuientibus eſſet obiectum, Matthiæ opera Moniales ſunt intra Clauſtra Ciuitatis reuocatæ, illudque poſtea anno 1436. Monaſterio S. Ludouici eſt vnitum. Anno autem 1409. Matthias cæleſtem repetijt Patriam.

Corradus Cardinalis Caracciolus Neapolitanus anno 1410. Primus Vrbeuetanam Epiſcopalem Sedem purpura coronauit. Vicarium habuit, & Admiſtratorem Epiſcopatus toto tempore vſque ad annum 1418. Dominum Ioannem Bonanni Ioannis de Caffarellis Patritium Romanum.

Franciſcus Vrbeuetanus è Monaldẽſibus de Ceruaria Monaldi Berardi filius, & fratris Trami ſupralaudati Pronepos ſucceſſit Cardinali Caracciolo, qui nunquam Vrbeuetanam adiuerat Ciuitatem. An. 1418. Fuit Franciſcus Epiſcopatus Adminiſtrator, & an. 1420. à Martino Quinto Pontifice in Vrbeuetanæ Eccleſiæ Apice eſt collocatus. Populi Vrbeuetani in Muffatam, & Mercorinam factiones diſtracti, ipſe primæ hærens Ciuilia incendia, & inteſtina bella mirum in modum amplificauit. Propterea Ciues nunquam intermiſſis precibus obſtrepentes pro Epiſcopi remotione Pontificem tandem viderunt eorum votis obſecundantem, qui Franciſcum ad Aprutinam, inde ad Aſculanam Eccleſiam tranſtulit.

Iacobus

Iacobus Benedictus à Patria nuncupatus de Adria an. 1443. Epiſcopus hilari animo eſt ſalutatus ab Vrbeuetanis Ciuibus, qui amoto Franciſco priſtinæ quietis commoda ſe recuperaturos ſperauerunt.

Antonius natione Valentinus ex Hiſpania mitram, quam ſuſceperat anno 1456. donarium Calliſti Papæ Tertij ſui Conciuis depoſuit anno inſequente tributum pendens mortalitatis.

Marcus ab Alexandrina Eccleſia tranſijt anno eodem 1457. ad Vrbeuetanam Cōfinia Meanæ diù diſceptauit cum Vrbiſueteris Ciuitate, & contra illam proinde grauiorum cenſurarum arma vibrauit, à quibus vt eam eximeret Epiſcopus Balneoregienſis, à Papa eſt deſtinatus. Obijt Marcus anno 1465.

Ioannes de Caſtilione Mediolanenſis Præpoſitus Eccleſiæ ſancti Nazarij eodem anno Vrbeuetanam Eccleſiam regere incœpit doctrina æque, ac prudentia, generiſque nobilitate conſpicuus. Anno 1473. fidelitatis præſtationem pro Parrani Caſtro diù intermiſſam, à Comitibus de Marſciano recepit.

Georgius de Ruuere Parmenſis Ioannis obitu à Sixto Quarto eius fortè conſanguineo ad Epiſcopatum Vrbiſueteris electus anno 1476. ad Vrbeuetanam Ciuitatem auris popularibus aduectus veliſicauit. Difficile relatu eſt quot plauſibus eius aduentum Ciuitas ſit comitata, quæ inter cætera duos nobiles Ciues Oratores ad Pontificem miſit, vt gratias ei redderent huius electionis beneficio pares. Georgius autem Agricolarum à Parmenſi comitatu tranſlatorum coloniam erexit in Vrbeuetano diſtrictu, illamque Caſtrum appellauit ab eius nomine Georgium, quod eleuato ſitu, & immoderatis caloribus imperuio æſtiuis temporibus Epiſcoporum Ciuitatis incendia aufugientium perfugium

euaſit. Nepotum Epiſcopus hic, & Conſanguineorum turbam ſecum duxit, quorum aliqui ſeditionibus addi-cti, & Vitellotij de Caſtello ſectatores Georgio gloriam, Ciuitati pacem diminuerunt. Anno tandem 1505. menſe Martij in Oppido Aquapendentis, vbi ſæpe morabatur, animam efflauit.

Gentiles de Balleonibus Peruſinus, qui an. 1502. à Papa Georgij Coadiutor electus fuerat cum futura ſucceſſione in diplomate expreſſa eodem anno 1505. menſe Aprilis Epiſcopus eſt acclamatus ſingularibus lætitiæ argumentis, quæ ipſe ampliora reddidit generoſa pecuniarum in magnifico ingreſſu vbique proiectarum diſtributione.

Hercules de Balleonibus Gentilis Nepos ex Patrui ceſſione Epiſcopus eſt effectus anno 1511. Interfuit anno 1513. Concilio Lateranenſi ſub Leone Decimo, & anno 1620. occubuit.

Nicolaus Cardinalis Rodulfus Florentinus eodem anno Epiſcopalem Vrbiſueteris Cathedram decorauit, vbi Clementem Septimum eius Conſanguineum anno 1527. ab Vrbe barbarè direpta profugum per ſex menſes habuit hoſpitem.

Vincentius Durantes in ditione Florentina ortus Vrbeuetana Ciuitate donatus, dum Epiſcopalis Domus Præfectus honorariam, & vtilem operam præbet Cardinali Rodulfo memorato, ex eius præuia renunciatione anno 1529. Epiſcopatum conſequitur. Anno 1541. in Prouincia Marchiæ Legati munus obiuit, & ad Pontificiæ domus Præfecturam Romam poſtea vocatus vitæ curſum ibi peregit anno 1545. corporeis exuuijs Vrbemueterem exinde delatis. Vigore regreſſus in renunciatione reſeruati Cardinalis Rodulfus Procuratore peculiari adhunc actum in Ciuitatem Vrbiſueteis

tranſ-

tranſmiſſo Epiſcopatus poſſeſſionem eodem anno recuperauit.

Hieronymus Cardinalis Simoncellus Vrbeuetanus anno 1554. Eccleſiaſticam in Patria ditionem à Iulio Tertio, cuius erat Pronepos, eſt conſecutus, illamq; primo retinuit vſque ad an. 1562.

Sebaſtianus Vantius Ariminenſis vir doctiſſimus, & præclarus eodem pacto, quo Durantes à Cardinale Simoncello anno prædicto Epiſcopatum Vrbiſueteris obtinuit; at cum anno 1570. ſuperſtite Cardinale obijſſet, in eodem Epiſcopatu Cardinalem eundem vnuſquiſque vidit vſque ad annum 1605. quo periodum vitæ, ſed non gloriæ compleuit.

Iacobus Cardinalis Sanneſius Picenus Cardinali Simoncello in Vrbeuetano Epiſcopatu ſucceſſit eodem anno 1605. & anno 1621. fato functus eſt Romæ, vbi ſæpè morabatur, nubeculis quibuſdam interpoſitis inter ſemet, & Ciues ob præeminentias cum Canonicis tunc primo diſceptari cœptas.

Petrus Paulus Cardinalis Creſcentius Romanus anno eodem 1621. ab Epiſcopatu Reatino ad Vrbeuetanum eſt translatus. Ipſe quidem id optimum ratus Ciuium animos amoris retibus expiſcari controuerſiam antedictam plaudentibus omnibus anno 1622. amico fœdere conciliauit. Anno autem 1644. quietem appetens grauiori ætati congruam Romanam Patriam repetijt, Epiſcopatu Vrbiſueteris in manibus Pontificis reſignato.

Fauſtus Cardinalis Polus Caſſianus ab Vrbano Octauo, huic Eccleſiæ eodem anno præficitur, poſtquam eius ingenuam mentem, operamque fidelem ante, & poſt adeptum Pontificatum in ſuæ Præfectura domus, in Vicariatu Baſilicæ ſancti Petri, in priuatis

 con-

conſeſſibus, & publicis Congregationibus, in Nuntij extraordinarij munere ad Mariam Hungariæ Reginam, mox Imperatricem, quam per dominium Eccleſiaſticum diuerſantem incredibili magnificentia deduxit, poſtquam pius Pontifex, prudens meritorum compenſator, abundè probauerat, & Cardinalatus honore primo voluit remuneratam. Vbi acceſſit Fauſtus, Cathedralem Eccleſiam pretioſis ornauit reliquijs, corporibus præſertim SS. Tiburtij, & Fauſtinæ, vti prius fecerat in patria donatis Eccleſiæ S. Saluatoris, à ſe in Oppido Oſignij Præfecturæ Caſsianæ, magnificè conſtructæ, rebuſque omnibus neceſſarijs inſtructæ, alijs binis corporibus Sanctorum, & quinquaginta pulcherrimis thecis reliquiarum. Numerum alumnorum Seminarij auxit, Palatium Epiſcopale qua ruinæ proximum firmauit, expoliuit, ornauit, adiectiſque cubiculis ampliauit, multis denique prudenter, & piè promouendo cultui Diuino, moribus reformandis, Clero inſtruendo, lociſque pijs conſeruandis, celebrata Synodo, conſtitutis, gregem ſibi commiſſum perpetua ſolatur præſentia. Noſtræ ſaluti inhiantem Deus diù ſeruet incolumem.

Impri-

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Fr. Vincentio Candido ſacri Palatij Apoſtolici Ordinis Præd.

A. Riualdus Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Magiſter, & Socius Reuerendiſſimi P. Fr. Vincentij Candidi ſacri Palatij Apoſtolici Mag. Ordinis Prædicatorum.

Ex commiſsione Reuerendiſsimi P. Mag. ſacri Palatij Apoſtolici legi hanc ſeriem Epiſcoporum Vrbeuetanorum, nihilque in ea deprehendi fidei Catholicæ, aut bonis moribus diſſonum, imo omnia iudico erudite diſpoſita, & digna, quæ prælo committantur. Ad S. Iſidori 10. Ianuarij 1650.

Fr. Lucas Vvaddingus.

INDEX NOMINVM EPISCOPORVM VRBEVETANORVM.

A

Albertinus pag. 3
Alipertus. 1
Antonius. 17

B

Fr. Beltramus. 13

C

Candidus. 1
Capitaneus. 7
Fr. Conſtantinus. 9
Corradus Caracciolus. 16

F

Fauſtus Polus. 19
Franciſcus. 10
Franciſcus Vrbeuetanus. 16

G

Gentilis de Balleonibus. 18
Georgius de Ruxere. 17
Gregorius. 2
Gualfredus. 4
Guiglielmus: 3
Guiſcardus. 4
Guitto. 12

H

Hercules de Balleonibus. 18
Hieronymus Simoncellus. 19

I

Iacobus. 9
Iacobus Benedictus. 17
Iacobus Sanneſius. 19
Ildebrandus I. 3
Ildebrandus II. 9
Ioannes I. 1
Ioannes II. 6
Ioannes de Caſtillione. 17
Ioannes de Magrauia. 14

L

Leonardus. 11

Marcus

M

Marcus ab Alexandria. 17
Matthæus. 6
Fr. Matthias de Ammedutis. 15
Milo. 4

N

Nicolaus Peruſinus. 15
Nicolaus Rodulphus. 18

P

Petrus I. 1
Petrus II. 15
Petrus Paulus Creſcentius. 19
Pontius. 14

R

Raymundus. 14
Rainerius. 8
Ricardus, 5
Rodulphus. 2
Ruſticus. 5

S

Sebaſtianus Vantius. 19
Sigifredus. 2

T

Tenzo. 2

V

Vincentius Durantes. 18